UNIVERSITY OF ILLINOIS
AT URBANA-CHAMPAIGN
URBANA, IL 61801

AS PART OF THE
DITTENBERGER-VAHLEN
IC 6 PRESERVATION GRANT
PROJECT

Funded by the
National Endowment for the
Humanities

TLE: De paricidii vocis
igine

LACE: Odessae

Storage Number : 00-0234.12

ák, Ivan Ivanovich.
De paricidii vocis origine / I. Luňák.
sae : Ex officina Oeconomica, 1900.
. ; 24 cm.

atin language -- Etymology. I. Title.

uage: Latin.
(s): Includes bibliographical references.

: 48709748

Technical Microfilm Data

Microfilmed by
Preservation Resources
Bethlehem, PA

On behalf of
The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign

his reel of microfilm contains mat
ch has paper color changes, stai
trations (some of which may app
ges mixed with printed text). In or
nsure that all text and illustrations
ble, exposure settings must be ch
erefore, when text and illustration
in a single image or when mater
kgrounds differ, such frames may
to be exposed twice.
he first exposure reflects the cam
rator's best effort to capture the n

s. d. p.

etymologus.

DE PARICIDII VOCIS ORIGINE.

Scripsit

I. Luňák,

universitatis CAESAREAE litterarum Novorossicae
prof. ord.

ODESSAE,

EX OFFICINA OECONOMICA.

MDCCCC.

Печатано по распоряженію Правленія Императорскаго Новороссійскаго Университета.
Ректоръ *Ѳ. Н. Шведовъ*.

Nihil tam difficile est, quin quaerendo
investigari possiet.

Terentius.

Inter antiquissima vocabula, quorum origo usque ad hunc diem caeca noctis caligine obruta latet, id quoque numeratur, quod in fronte huius nostri libelli posuimus. Omnes enim controversae vocis rationes, quae ab hominibus doctis et antiquis et recentioribus enodatae sunt, innumerabilibus difficultatibus laborant et a verisimilitudinis specie quadam abhorrere videntur ita, ut ne una quidem derivatio omnibus modis probari possit. Attamen veram nominis originem indagare et pervestigare maximi est momenti, cum inde non solum in interpretandis veterum scriptis adiumentum comparari, sed etiam (quod gravissimum est) antiquissimo Romanorum iuri publico enarrando aliquid lucis adferri posse videatur.

Quae cum ita sint, non supervacaneum esse duximus novam explicationem illius perdifficilis vocis tentare. Priusquam vero ad id, quod propositum habemus, accingamur, breviter nobis perlustrandae sunt originationes iam ab aliis prolatae

simulque paucis repetendum, quibus argumentis unaquaeque labefactari refellique possit[1].

Iam igitur ab ea originatione ordiamur, quae inde ab antiquitate usque ad nostra tempora inveteravit saepissimeque recurrit. Cum paricidii nomen e duabus partibus compositum sit, posterioris originem manifestam esse omnes interpretes consentiunt, priorem autem plerique a *patris* nomine derivant *t* litteram per assimilationem quandam in *r* abiise statuentes: ita totum vocabulum a *patre caedendo*, idque a filio vel filia, duci solet[2]. Quam explicationem iam M. Tullius amplexus est, quod ex eius verbis (or. pro Sex Rosc. Am. 22, 61) concludi potest: «De *par(r)icidio*, inquit, causa dicitur; ratio ab accusatore reddita non est, quam ob causam *patrem filius occiderit*». Idem postea or. pro Mil. 7, 17: «Nisi forte magis erit *par(r)icida*, si qui consularem *patrem*, quam si quis humilem *necarit*». Horatius quoque (Carm. III 29, 8) eandem significationem in hac voce inesse statuisse videtur, quippe qui Telegonum, Ulixis et Circae filium, a quo pater interfectus esset, par(r)icidam nominasset. Grammatici quoque eam originationem inter ceteras probabant, e g. Quintilianus (Instit. or. VIII 6, 35), Priscianus (Instit. gramm. I 33 in Keilii Gramm. lat. II p. 25 sq.) [3], alii. Ex recentioribus plurimi

---

[1]) Omnes sententias, quae adhuc usque ab etymologis in nostra quaestione tractanda depromptae erant, diligentissime collegit accurateque examinavit Brunnenmeister in peculiari libro Lipsiae edito, qui inscribitur: Das Tödtungsverbrechen im altrömischen Recht (a. 1887).

[2]) Verba «idque—filia» addenda sunt ambiguitatis evitandae causa, quoniam patricida is quoque appellari potest, qui *alius hominis* patrem occidit, ut graecum πατροφονεύς, quod legimus iam apud Homerum (Od. III 197 et 307, ibid. I 299) de Aegistho, Agamemnonis, Orestis patris, interfectore.

[3]) «Pa(r)ricida, quod vel a pari componitur, vel, ut alii, a *patre* .. Si a patre, *t* in *r* convertitur».—Accuratissimam locorum, qui huc pertinent,

veterum vestigia premunt, ut Rein in libro, quem de publico Romanorum iure conscripsit (p. 450), porro interpretes Roscianae, ut Halm, Landgraf, imprimis autem lexicographi (Klotz, Vaníček, Bréal, ceteri).

Quae in vulgus probata derivatio multis nominibus ad nihilum reduci potest. Nam primum *t* litterae in *r* conversio sonorum legibus repugnat neque exemplis muniri potest [1]). Contra ea consonantium *tr* in media voce complexio tam stabilis firmaque est, ut non solum in ceteris eius modi compositis, velut matricida, fratricida, patrimonium, nihil unquam immutatum inveniatur, sed in ipso patris nomine in Italorum voce «padre» sonus dentalis nunc quoque vigeat [2]). Porro illa derivatione accepta nullo pacto explicari posset scriptura paricidii vocis per unum *r*, quae non solum in antiquissimis codicibus, sed etiam in inscriptionibus nonnunquam recurrit.

Expositis grammaticorum scrupulis perpendamus, num antiquissimis populi Romani temporibus, de quibus hic imprimis agitur, paterna caedes omnino patrari potuerit; de quo valde dubitari potest. Quis enim est, qui ignoret, quanta auctoritate patria potestas, id est «vitae necisque in filium potestas»,

---

recensionem vide in Voigtii doctissima disputatione de legibus regiis, inserta Annalibus Societatis Scientiarum Saxonicae, t. VII (a. 1879) p. 58 adn. 132.

[1]) Recentiores unum tantum exemplum dentalis (*d*) in liquidam (*r*) mutatae in media voce agnoscunt in «meridie» pro «medidie» collato graeco vocabulo μεσημβρία (cf. Stolzii «Historische Grammatik der latein. Sprache» I 1, p. 233), quam formam Varro (De l. l. VI 4) in Praenestino solario incisam legit. Attamen «meridies» fortasse natum est ex analogia adverbiorum pridie, postridie, quod *i* quoque productum indicare videtur.

[2]) Itaque respuenda est Bréalii (l. l.) explicatio: «Parricidium, inquit, présente un exemple de *tr* changé en *rr*: c'est probablement *un fait de prononciation populaire*».

Romae ornata fuerit? Quodsi reputamus liberos patris imperium contremuisse, minime videbuntur nobis mirae narrationes veterum, quibus docemur Romae inde ab initio per sex saecula usque ad bellum Punicum secundum paternae caedis crimen inauditum fuisse[1]). Itaque si *ipsum facinus* ignotum erat, *nomen* quoque *patricidii* priscos Romanos ignorasse consentaneum est. Quod si ponimus, paricidii nomen aliud etymon habeat necesse est. Denique non praetermittendum est monstrare, quam perversa sit opinio eorum, qui tam rari horribilisque criminis nomen postea in alias minus abominandas caedes per abusionem quandam translatum esse statuant, cum putent eodem vocabulo, quod sensu proprio *patris caedem* significet, sensu latiore *aliorum* quoque *civium caedem* designari posse. Quod si verum esset, omnibus aequi iustique rationibus adversaretur. Quibus reputatis perpensisque paricidii vocem a patre caedendo ortam esse minime credes.

Quod si ita sese habet, Brunéri quoque explicatio re-

---

[1]) Conf. Plutarchi Romul. c. 22: «Ἴδιον δὲ τὸ μηδεμίαν δίκην *κατὰ πατροκτόνων* ὁρίσαντα *πᾶσαν ἀνδροφονίαν πατροκτονίαν* προσειπεῖν . .ὡς ὄντος ἐκείνου *ἀδυνάτου*. Καὶ μέχρι χρόνων πολλῶν ἔδοξεν ὀρθῶς ἀπογνῶναι τὴν τοιαύτην ἀδικίαν· οὐδεὶς γὰρ ἔδρασε τοιοῦτον οὐδὲν ἐν Ῥώμῃ σχεδὸν ἐτῶν ἑξακοσίων διαγενομένων, ἀλλὰ πρῶτος μετὰ τὸν Ἀννιβιακὸν πόλεμον ἱστορεῖται Λεύκιος Ὅστιος πατροκτόνος γενέσθαι». Adde Senecae de clem. verba (I 23): «Multo minus audebant liberi nefas ultimum admittere, quamdiu *sine lege* crimen fuit... Itaque par(r)icidae a lege coeperunt et illis facinus poena monstravit». Cicero quoque (Rosc. 11, 30) patris caedem «crimen incredibile» et porro (ibid. 13, 38) «tantum, tam atrox, tam singulare maleficium» appellat his additis: «Quod ita raro exstitit, ut, si quando auditum sit, portenti ac prodigii simile numeretur». At imperatoria aetate crimen occisi patris a filio haud insolitum fuisse testantur Senecae l. l. verba: «Pessimo loco pietas fuit, postquam saepius culleos vidimus quam cruces». Attamen nihilominus ipsarum patricidii causarum apud scriptores Romanos perraro mentionem fieri docent Rein (in Paulyi «Realencyclopaedie» s. v.), Rudorff in libro, qui inscribitur «Römische Rechtsgeschichte» t. II p. 375, alii.

iciendа est, qui ipse a partibus eorum stat, quibus paricidae nomen a patre caedendo derivare placet; qui tamen sub patris voce, *civem Romanum*, *patricium*, *patrem familias* intellegit [1]).

Ad originationem, quam primo loco posuimus, proxime accedit ea, quae paricidii vocem a *parente caedendo* derivat ita, ut ex *parenticidio* duabus litteris *(en)* detractis et *t* in *r* mutato *par(r)icidium* natum sit [2]). Quam explicationem iam ab antiquis excogitatam esse multi grammaticorum loci docent, ubi sub parentis voce *pater* vel *mater* intellegitur [3]). Eandem originationem Festus quoque respicere videtur (p. 278 ed. *Thewrewk de Ponor*), ubi legimus: «Par(r)icida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcumque hominem indemnatum». Attamen ne haec quidem originatio

---

[1]) Conf. eius disputationem «De paricidii crimine et quaestoribus paricidii», quae exstat in Actis Societatis Scientiarum Fennicae, t. V. (a. 1858), praesertim pp. 535 sq., 546 sq., 519.

[2]) «*Parenticida*» legitur nunc apud Plautum Epid. v. 349; quam lectionem restituit Frid. Leo in indice lectt. in acad. Rostock. a. 1887–8 probante Fr. Schöllio (v. Wölfflini «Archiv» t. IV p. 632).

[3]) Conf. Prisciani (I. 1) verba: «Quibusdam tamen a *parente* videtur esse compositum et pro *parenticida* per syncopam et commutationem *t* in *r* factum *par(r)icida*». Ita Caesaris quoque nex paricidii nomine propterea designata esse videtur, quod Caesar PARENS PATRIAE appellatus erat; conf. Suet. Div. Iul. 85; 88; Tac. Ann. IV 34. Quam derivationem Cicero quoque ante oculos habuisse videtur Phil. II 13, 31: «Confiteor, inquit, eos (sc. Caesaris interfectores) nisi liberatores populi Romani conservatoresque reipublicae sint, plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam *par(r)icidas* esse: si quidem est atrocius *patriae parentem* quam *suum* occidere». Eadem originatio M. Tullio iis quoque locis obversabatur, ubi de *par(r)icidio patriae* loquitur (or. de domo 52, 133; pro Sulla 2, 6), quoniam *patria* «communis est *parens* omnium nostrum» (or. in Cat. I 7, 17. Quae explicatio Ciceronem minime prohibuit, quominus et de *paricida civium* loqueretur (or. in Cat. I 12, 29), et *sacrilegum* in sua lege *paricidam* appellaret: «*Sacrum sacrove commendatum qui clepsit rapsitve*, *paricida* esto» (De legg II 9, 22).

accipi potest, quoniam illa per syncopam explicatio absurda est et paricidii crimen antiquitus latius valebat. Ex recentioribus nemo, quod sciamus, veterum grammaticorum auctoritatem secutus est [1])

Restat tertia explicatio iam ab antiquis proposita, quae (id quod erat proximum) in priore vocabuli parte *par* adiectivum inesse statuens *paricidio paris caedem* designari docet[2]). Quae derivatio etsi quod ad grammaticam rationem attinet, praeter primam syllabam correptam haud ullam suspicionem movere potest, tamen quod ad sensum pertinet, aegre cuiquam satisfacere potest cum «par» adiectivum nullo substantivo propius designatum nimis incertam vagamque notionem exprimat, quae plerumque additis vocabulis «aetate, libertate, iure» propius describi solet. Et antiqui et imprimis recentiores, qui eam originationem probant, quorum novissimus est Voigt, (l. l. p. 58) persuasum habent *paris* voce *civem* significari, cum omnes cives pari iure sint[3]). Attamen Osenbrüggen iam ante hos sexaginta annos optime docuit talem adiectivi «par» vim minime quadrare ad antiquissima Romae tempora[4]); cuius argumentationem refutare Voigtio l. l. adn. 133 minime contigit.

---

[1]) Alia via ad eandem vocis significationem Corssen pervenit in libro «Beiträge zur italischen Sprachkunde» p. 238, qui ipse quoque *paricidam parentis occisorem* significare statuit, cum in priore vocis membro nominis adiectivi stirpem videat, quod a *pariendi* verbo derivatum idem sit atque parens. Attamen *opi—parus* adiectivum, quo doctus vir suam explicationem munire conatur, minime a pariendi, sed potius a parandi verbo ortum esse nobis videtur.

[2]) Conf. e. g. Prisciani l. l.

[3]) Aliam vim in ea voce inesse Ed. Meyer statuit («Geschichte des Alterthums» II p. 512): «Paricida kann nur sein, wer seine pares, seine Blutsbrüder tödtet». Attamen par nusquam locorum consanguineum significat.

[4]) Vide eius disputationem in «Kieler philologische Studien» (Kiliae a. 1841), quae inscribitur: «Das altrömische Paricidium», p. 218 sq.

De quarta denique veterum derivatione, quae legitur apud Ioannem Lydum (de magistratibus Roman. I 26), ubi paricida ab interfecto parente (τῷ ὑπηκόῳ) nomen nactus esse creditur, vix est quod moneam.

Cum igitur ne una quidem ex quattuor veterum grammaticorum originationibus accipi possit, recentiores novas explicandi vias ingressi primum in priore vocabuli parte *sanskritam* stirpem latere suspicabantur. Quorum seriem Osenbrüggen l. l. p. 250 aperit, qui *pari*—a sanskrita voce *para* (gr. παρά) derivans paricidium pravam, abominandam caedem significare coniecit. Porro Mommsen quoque originationem a sanskrita voce (*para—s*) probavit[1]) ita, ut *paricidium caedem alius hominis* designaret. A graeco verbo (πέρσαι) primus *Döderlein* p. 156 appendicis libro «Lateinische Synonyme und Etymologien» additae priorem paricidae vocis partem derivabat caedendi notionem bis expressam esse coniciens; itaque latinum vocabulum ab illo etymologorum audacissimo per verba «der arge Mörder» germanice redditum est. Froehdii quoque explicatio huc referenda est, qui tamen priorem vocabuli partem adhibitis Graecorum verbis παός, πηός interpretatur paricidamque *propinquorum interfectorem esse* docet[2]). A Froehdii partibus stant Brunnenmeister l. l. p 101 sq., Schrader («Sprachvergleichung» p. 579), qui langobardicum *fara* addidit, quo *genus* significatur, tum Stolz quoque l. l. 2 p. 224. Quam derivandi viam ac rationem per vocabula exterarum

---

[1]) Vide Diarium Antiq. a. 1845, p. 320.

[2]) V. Bezzenbergeri Beiträge, t. VIII p. 164. Similem explicationem in Cagnatii lexico legimus: «*Paricidium. Meurtre d'un parent*, et, par extension, *meurtre de tout citoyen*». Froehdii derivatio iam propterea vacillare videtur, quod de *s* littera in medio graeco vocabulo, quae per rhotacismum in latino *pari*—in *r* abierit, valde dubitari potest.

nationum in auxilium advocata iam Voigt apte refutavit, qui l. l. p. 59 adn. 133 ostendit, quam absurdum esset in priore compositi vocabuli parte *sanskritam*, in posteriore autem *latinam* stirpem videre[1]. Itaque Mommsen ipse in libro novissime edito[2] priorem vocis partem (*pari*--) priscae latinitati vindicandam esse censet, quae «*aliter, falso*» significet et in aliis vocabulis, velut periurium, perduellio, recentiori formae (per--) locum cesserit; itaque paricidium idem esse atque germanicum «die böse Tödtung». Attamen vetustissimae linguae latinae pari—formam assignare testimoniis deficientibus valde dubium esse videtur.

Haec fere exstant, quae ab aliis enucleata, ab aliis reiecta sunt. Quorum longam seriem si perlustramus, facere non possumus, quin fateamur ipsam quaestionem hucusque «sub iudice» esse, cum ne una quidem originatio ab omni parte probari possit. Attamen nihilominus de quaerendi successu non est desperandum. Iam Osenbrüggen, post eum vero Voigt optime perspexerunt, unde in quaestione solvenda proficiscendum esset; quibus tamen totam rem ad finem perducere non contigit, quoniam ab iis, qui in qaestione tractanda praeiverant, quodammodo afficiebantur. Constat enim inter vetustissimas Romanorum leges, quae aetatem tulerunt, eam quoque numerari, quae paricidae notionem accuratissime describit; quae a Paulo Diacono ex Festo excerpta et servata Numae regi adscribitur. Verba autem ipsa legis sunt: SI QUI HOMINEM LIBERUM DOLO SCIENS MORTI DUIT, PARICI-

---

[1]) Indorum graecorumque verborum vestigia in Romanorum antiquissimo cultu civili in universum rara esse docuit ipse Schrader in libro, quem supra laudavimus, p. 172 sqq. (ed. II).

[2]) Römisches Strafrecht, p. 612 adn. 3 coll. p. 537 adn. 1. Conf. eiusdem «Röm. Staatsrecht» p. 508 adn. 2.

DAS ESTO[1]). In quibus explicandis nos a ceteris interpretibus in eo dissentimus, quod persuasum habemus priorem paricidae vocis partem (PARI—) illis duobus protaseos verbis (DOLO SCIENS) plane respondere necesse esse ita, ut occidendi *modus* utroque loco propius describatur. Quod si ita est, secundum ipsa legis verba *paricidae* vox significabit eum, qui *insidiis factis hominem liberum interfecit*, *paricidium* autem nihil aliud erit nisi *caedes praemeditata*[2]).

Iam videndum est, quomodo illam prioris partis vocabuli vim atque significationem, quam res ipsa efflagitat, ex illis duabus syllabis (pari—) eliciamus; quod reapse inexplicabile non esse iam ostendemus. Constat enim praeter nomina et adverbia in compositorum parte priore *verborum* quoque stirpes, a quibus temporis praesentis formae declinantur, quamvis rarius, recurrere; ita in Pacuvianis fragmentis delphinus, «repandirostrum pecus» appellatus est, h e. pecus, quod repandit rostrum. Imprimis huc facit Veneris antiquum epitheton «Verticordiae» (quae vertit corda[3]). Ad normam verborum compositorum huius

---

[1]) V. Paul. Diac. excerpta ex Festo p. 278 ed. *Th. d. P.*—Voigtio (l. l. p. 246) docente Numae lex a Verrio Flacco ex commentario Granii Flacci de iure Papiriano deprompta est, a Flacco autem in Festi libros transmigravit.

[2]) Itaque patricida quoque inter *paricidas* numerandus est, si sciens prudensque patris fata properavit; nam «si *per furorem* aliquis parentem occiderit, impunitus erit» (Digest. l. XLVIII t.9, 9 § 21).

[3]) Conf. Skutschii «De nominum latinorum compositione quaestt. sel. (Nissae, a. 1888) p. 21: «Fuerunt, inquit, composita bahuvrîhica, quae priore membro adiectivum continent, velut incurvi—cervicus, repandi—rostrus. Romani pro adiectivis incurvus, repandus.. rell. quasi *stirpes verborum* incurvare, repandere.. sensisse mihi videntur, ut incurvicervicus is esset, qui cervicem incurvat, rapandirostrus, qui rostrum repandit. Hinc exorta sunt illa verticordia, quae corda vertit, poscinummius, qui nummos poscit, cet.» Porro huc spectat exerci — pes (ibid. p. 19) et imperatoriae aetatis verba: verti—pedium, vinci—pes, pet—heredium, fulci—pedia, laudi-cenus (h. e. laudans cenam, Plin. Ep. II 14, 5).—Tentipellium quoque (v. Paul. Diac. p. 557 ed. Th. d. P.) huc referri possit, si alterum *t* pro *d* (praecedente tenui) positum esse mecum conicias.

generis nostrum quoque vetustissimum paricidae nomen formatum esse contendere haud dubitaverim, cum eius priore parte *parandi* verbum contineri persuasum habeam. Quod si ita est, *paricidae* voce proprie designatur ***interfector paratus***, facinori autem ***caedis paratae*** h. e. praecogitatae consultoque perpetratae ***paricidii*** nomen inditum est; quam vim secundum Numae legis verba iis vocibus tribuendam esse supra posuimus. Itaque ex ipsius linguae latinae thesauro stirpe deprompta neque ex grammaticorum libidine immutata apte explicari potest, unde paricidae nomen ductum sit. Quae originatio eo praecipue commendari videtur, quod etymologia duce ad eandem vocis vim significationemque provecti sumus, quam Mommsen, cuius auctoritas in publico Romanorum iure enarrando summa est, antiqui iuris monumentorum vestigiis insistens ei vocabulo tribuendam esse statuit[1]).

Quodsi forte quaeras, ad quamnam ut ita dicam nominum compositorum familiam paricidae nomen pertineat, respondendum est nostrum vocabulum iis determinativis verborum conglutinationibus adnumerandum esse, ubi adiectivum compositionis causa e verbali stirpe fictum neque extra compositionem occurrens (ut sunt illa—dicus,—locus,—ficus,—volus,—fluus in posteriore compositorum membro) cum substantivo coniunctum reperiatur[2]).

Iam videndum est, quibus rationibus hanc novam voca-

---

[1]) Ipsius verba sunt (Röm. Strafrecht, p. 612): «Die lateinische Sprache besitzt für die *dolose Tödtung* nur einen einzigen Ausdruck, und auch diesen nur in der ältesten Zeit, das *paricidium*. Es bezeichnet dies.. zweifellos in der älteren Rechtssprache.. die *böse Tödtung, Mord und Todtschlag*». Conf. imprimis Festi verba (l. 1 p. 278): «Paricida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed *qualemcumque hominem indemnatum*».

[2]) Nomen adiectivum — parus occurrit in posteriore membro vocis «opiparus» (h. e. proprie: qui sibi opes comparavit); conf. Cic. ad Att. XIII 52, 1: «Edit et bibit.. opipare sane et apparate».

buli originationem fulciamus. Primum quaeritur, num parandi verbum de caede consulto perpetrata a Romanis hominibus usurpatum sit. Quem usum a lingua latina minime alienum esse testantur plurimae variaeque locutiones, e. g. Sall Cat. 52, 36: cum convicti confessique sint *caedem* .. se in cives patriamque *paravisse*; Iug. 35, 6: qui *ad caedem parati* erant; Cic. de domo 3, 6: servos *ad caedem paratos*; pro Mil. 10, 28: insidiator, qui iter illud *ad caedem* faciendam *apparasset*; ibid 21, 55: *paratus* in imparatos Clodius inciderat; ibid. 9, 25: homo ad omne facinus *paratissimus*. Porro conferre potes or. in Cat IV 10, 20: *mors* omnibus *est parata*: pro Mil. 7, 19: ei viro *mors parabatur*; ibid. 36, 100: si quae *vis est parata* (idem de domo 21, 54); or. pro Rosc. Am. 9, 26: *insidias* vitae *parare*; de domo 5, 13: cum *impetus comparares*.—His aliisque locis, quibus cumulandis supersedemus, satis superque demonstrari potest *parandi* verbo fere eandem vim exprimi, quae illis duobus legis vocabulis «*dolo sciens*» continetur.

Sequitur alterum (idque gravissimum), quod nostrae derivationi refragari videatur: *prima paricidii vocis syllaba*, quantum *e versuum compositione* concludi potest, semper *producitur*. Ita iam apud Plautum (Rud. v. 651):

Fraudis, sceleris, parricidi, periuri plenis<sumus>,

Conf. Pseud v. 362. Tum in septenario incertae fabulae (v. Ribbeckii Tragicorum lat. rell. frag. XCIII):

Sibi salutem ut familiari pareret parricidio.

Idem apud Horatium quoque l. l. recurrit. Attamen duo proximi loci ad ea tempora referuntur, cum falsa a patre caedendo derivatio iam convaluit; nam tragici quoque fragmentum, ubi, ut Cicero (de nat. deor. III 26, 67) testis est, de Medeae fratricidio agitur, Attio, Ciceronis aequali, adscribi potest. Ce-

terum ut in graecis, ita in latinis quoque carminibus haud raro fit, ut syllabae natura breves, accentu oneratae, imprimis liquida sequente producantur [1]. Neque illud praetermittendum est homines latinos ipsos, qui id vocabulum a *pari* vel *parente* (h. e. procreante) derivabant, brevitatem primae syllabae agnovisse, nisi forte obieceris latinorum grammaticorum auctoritatem in ea re magni non esse faciendam [2].

Quibus praemissis iam nostram opinionem proferamus, qua explicetur, quomodo illae perversae paricidii vocis derivationes oriri potuerint. Supra vidimus antiquissimis temporibus Romae tantam morum integritatem fuisse, ut per multa saecula ne unus quidem filius patri manus iniecerit; immo vero ne homicidium quidem ipsum nisi perraro fiebat [3]. Quod si verum est, certe nomen quoque paricidii ad caedem designandam rarissime usitatum postremo ita obsolevit et robigine quadam antiquitatis obsitum est, ut genuina prioris partis eius vis et significatio hominibus latinis prorsus obscura evaserit. Cum vero tertio ante Chr. n. saeculo plurimae Graecorum fabulae in linguam latinam converterentur,

---

[1]) Conf. Christii «Metrik der Griechen und Römer» p. 24 sq. ed. II. Ita apud poetas latinos producuntur syllabae natura breves in his verbis: relicuus (Lucret. I 560), religio (id. VI 1274), prologus (apud comicos), polypus (Enn., v. L. Mülleri ed. p. 211; Hor. Epod. 12, 5). Pauli (l. l. p. 87) «minurritiones» idem declarant atque Graecorum μινυρισμοί; porro ibid. p. 33 legimus: «caperratum».—Quodsi Romanis ipsis vera et propria paricidii significatio ignota fuit, sane fieri potuit, ut prius eius vocis membrum secundarii accentus vi produceretur. Conf. Corsseni quoque l. l. p. 237.

[2]) Ex recentioribus praeter eos, quibus par vel parens paricidii etyma esse videntur, Stolz quoque (l. l. p. 224) dubitanter de prima vocis syllaba correpta cogitavit, cum ait antiquitus fortasse duas formas fuisse, alteram brevi (quippe quae a «*par*» adiectivo derivata esset), alteram producta prima syllaba; quas formas postea a Romanis esse confusas.

[3]) Conf. Zumptii librum, qui inscribitur: Das Criminalrecht der röm Republik, t. II p. 11.

in quibus sine dubio crimen patris a filio occisi haud raro recurrebat, illa graeca nomina (πατροκτόνος, πατραλοίας) per *patricidae* vocem latine reddita sunt[1]. Itaque duo similia vocabula exstabant, alterum antiquitus traditum (*paricida*), alterum recens ad exemplar graecorum nominum fictum fabulisque spectatis divulgatum (*patricida*). Cum vero iuris antiqui fontes bello Punico secundo confecto a Romanis hominibus doctis accuratissime enarrari coepti essent, factum est, ut inter alias voces obscuras paricidium quoque offerretur, quod vocabulum facillime cum illo tragoediarum patricidio coniungi commutarique potuit. Etiamsi in re tam dubia tamque remota nihil certi statui potest, tamen haud longe a verisimilitudine recessisse videbimur, si coniecerimus doctum quendam antiqui iuris enarratorem, fortasse ipsum L. Aelium Stilonem, qui Festo teste legibus antiquis interpretandis diligentissimam operam navabat[2], docuisse *paricidium* ex *patricidio* natum esse *t* littera aut omissa aut in *r* mutata; quae explicatio postea in vulgarem usum recepta est. Cicero enim iam anno LXXX ante Chr. n., quo orationem pro Sexto Roscio Amerino habuit, eam originationem, ut supra vidimus, amplexus esse videtur. Itaque genuina prioris vocabuli partis significatio Stilonis vel alius grammatici originatione recepta adeo obscurata est, ut iam ipsorum Latinorum hominum ple-

---

[1]) Ita in Pacuvianis Niptris, ubi Ulixes a Telegono filio mortifero vulnere ictus in scenam inductus erat, patricidae vox sine dubio occurrebat; v. Hygini fab. 127 (ed. M. Schmidt) et Dictyis VI 15 haec verba: «Telegonus.. fletum edit.. discruciatus ob *inlatam per se patri necem*». Tales fabulas plures fuisse demonstrant Hyginiani indicis verba (p. 5): «Qui *patres suos occiderunt*». Illud quoque Homericum verbum (πατροφονεύς) in Odyssia latina iam a Livio Andronico per *patricidae* vocem conversum esse poterat.

[2]) Vide Festi p. 410 (ed. Th. d. P.), ubi verbum ex XII tabulis (sonticus) explicatur.

rique eam *a patre* ductam esse persuasum haberent [1]. Quod minime mirabimur, si alias easque absurdissimas derivationes, quae in latinis scholis vulgo circumferebantur, perlustrabimus [2]. Attamen Romanos ipsos in explicanda voce inter se dissensisse vel incertos haesisse documento sunt ceterae explicationes, quarum supra mentionem fecimus. Cum vero bellis civilibus Romanorum mores adeo efferati essent, ut saepissime in ipso foro cives a civibus trucidarentur, Sulla inter ceteras leges illam quoque Corneliam contra percussores tulit. Attamen (certe mira res) genuina paricidae vocis vi obsoleta idoneum delicti nomen deerat: itaque lingua latina novo vocabulo ornata est a *sica,* caedis instrumento, ducto. A Cicerone autem secundum patricidae vocis analogiam recens *homicidae* nomen in lucem prolatum est (v. or. Phil. II 12, 30).

Cum hac de origine paricidii vocis quaestione artissime cohaeret altera quaestio de eiusdem vocis *orthographia*, quae cum apud antiquos, tum apud recentiores valde fluctuat. Homines latini, qui illam «litteram caninam» geminabant, praeter pervulgatam a patris voce originationem ad suam scri-

---

1) Anno 55 vel 52 ante Chr. n. Pompeius quoque in lege de *paricidiis* eandem originationem secutus esse videtur, cum scripsit: «Si quis *patrem... occiderit*»; qui tamen ipsi patri longam proximorum seriem adiunxit. V. Digest. l. XLVIII t. 9. 1.

2) Ita Varrone, Stilonis discipulo, teste (De l. l. V § 21) secundum magistri explicationem «*terra* dicta ab eo, quod *teritur*»; Quintiliano narrante (Inst. or. I 6, 36) Stilo ab eo nactam esse nomen docuit «*pituitam*, quia *petat vitam*» Alias non minus ineptas Stilonis derivationes collegit W ö l f f l i n in disputatione, quae inscribitur: «Die Etymologien der lat. Grammatiker» (v. Archiv für lat. Lexic. u. Gramm. VIII (1893) pp. 421 sqq., 563 sqq.). Quam mira varietas in interpretandis verbis apud latinos etymologos fuerit, exemplo esse potest *furti* vox, quam alii a *furvo*, alii a *ferendo*, alii a *fraude*, alii a graeco *φώρ* derivabant; v. M o m m s e n i «Röm. Strafrecht» p. 733 adn. 1.

bendi rationem tuendam id quoque proferre poterant, quod iam *sono ipso* criminis horror designari posse videretur[1]). Secundum nostram originationem genuina scriptura per unum *r* in prosa oratione invitis titutis, libris manu scriptis grammaticorumque testimoniis ubique locorum reponenda est; in carminibus autem, ubi metri necessitas syllabam longam efflagitat, per illam Ennianam *r* litterae geminationem praecedentis syllabae longitudo «Graeco more» oculis designari potest. Sane admodum arduum est correctoris munere fungi, ubi Romani ipsi memoria originis vocabuli oblitterata errorem haud facile sanabilem commiserunt[2]).

Haec sunt, quibus nostram originationem contra grammaticorum scrupulos muniamus. Quibus absolutis reliquum est, ut iuris quoque peritis, quantum poterimus, satisfaciamus; nam sine eorum adsensu res ad finem perduci nequit.

Primum igitur nostra explicatio eo commendari videtur, quod illi Numae legi optime opponi potest altera eidem regi adscripta lex, ubi de caede *non consulto* perpetrata agitur. Cuius legis Servius in Verg. Ecl. IV v. 43 (rec. Thilo) mentionem fecit: «In Numae legibus, inquit, cautum est, ut si quis *imprudens occidisset* hominem, pro capite occisi agnatis eius in cautione offerret arietem, qui oblatus homicidam

---

[1]) Prisciano, qui l. l. «*r euphoniae* causa addi» putat, vix quemquam adstipulaturum esse opinor; Corssen vero l. l. cogitat de pronuntiatione exacuta.

[2]) Falsam nominis explicationem haud raro perversae scribendi rationis ansam dedisse docent multa exempla; ita *beluae* vox per geminum l scribebatur, quod a *bello* orta esse videretur. Conf. Vaníček l. l. p. 103. Simili modo Skutsch quoque Poplicolae cognomen pŏpuli nomen deminutum esse haud inepte coniciens haec adnotat: «Die Schreibung ποπλικόλας mit o bei Plutarch u. a. ist nur *die natürliche Konsequenz des volksetymologischen Aktes*». V. Fleckeiseni «Jahrbücher für classische Philol. t. XXVII supplem. I p. 103.

crimine homicidii possit exsolvere». Itaque gravissimae notiones, in quibus utriusque legis cardo vertitur, sunt: *paratus* et *imprudens*. Iam igitur nos ipsa originatione planum fecimus Romanos antiquissimis temporibus caedem *paratam* a *fortuita* eodem modo seposuisse, quo Graeci φόνῳ ἐξ ἐπιβουλῆς vel ἑκουσίῳ illum ἀκούσιον opponebant [1]).

Alteri quoque legi, qua paricidii crimine absolvitur, qui lege sacrata obnoxium interfecit, ex nostra originatione optima lux adfertur; quae lex exstat apud Festum (p. 466 ed. Th. d. P.): «Si quis eum, qui eo plebei scito sacer sit, occiderit, paricida ne sit», h. e. paricidii ne damnetur. Itaque interfector, etiamsi hominem sacrum consulto vita privavit, tamen inter percussores, qui vim parassent, minime numerabatur [2]).

Nonnihil fructus ex nostra explicatione capi posse putamus ad quaestionem de *quaestoribus paricidii* solvendam, de qua propter veterum testimoniorum penuriam in varias partes ab hominibus doctis disputatum est. Nam veteres tantum generatim atque universe de eo magistratu loquuntur; ita Paulus Diaconus (p. 278 ed. Th. d. P.): «Parici(dii)quaestores appellabantur, qui solebant creari causa rerum capitalium quaerendarum». Idem repetitur a Pomponio (Digest. I 2, 2 § 23): «Quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent. Hi appellabantur quaestores paricidii». Nostra autem nominis explicatione optime demonstratur, quae provincia huius antiquissimi magistratus in principio fuerit: quaestores paricidii non in patricidas inquirendi causa creabantur (ut nonnunquam

---

[1]) Vide I. H. Lipsii «Der attische Process» p. 384 sqq. Alia Graecorum verba, quae huc pertinent, sunt: δολοκτασία (Apoll. Rhod. Arg. IV 479), δολοφονία (passim). Plaga quoque, consulto alicui inflicta, vocabatur τραῦμα ἐκ προνοίας.

[2]) Conf. similia in iusso populi verba apud Livium (XXII 10 § 5): «Si quis rumpet *occidetre insciens*, ne fraus esto».

conicitur), sed ea causa, quam etymon a nobis erutum indicat, scilicet ut *de homine consulto occiso quaererent*[1]); postea vero aliae quoque res capitales quaerendae eidem magistratui delatae sunt.

Quid vero de illa cullei poena statuendum sit, qua patricidae extremis reipublicae temporibus et imperatoria aetate afficiebantur[2]), ne hanc quoque rem silentio praetermittamus, paucis exponendum est. Cullei poena antiquitus apud varios populos delictis quibusdam imputabatur[3]), itaque caedem quoque liberi hominis Romani consulto perpetratam sequi poterat[4]); animalibus autem una cum damnato in culleum insutis prisci homines latini tantum designare voluisse nobis videntur eum, qui hominum societatis vincula foedo caedis facinore violasset, omnino commeruisse, ut in animalium societate diem obiret. Itaque quaecumque ab hominibus sagacibus de impietate illorum animalium indagata sunt, meris hariolationibus adnumeranda esse videntur[5]).

---

[1]) Nostra explicatio optime congruit cum Mommseni sententia (v. Abriss des röm. Staatsrechts, p. 227): «Dagegen fehlt es im römischen Privatrecht an jeder Anknüpfung für die Ahnung des Mordes und es ist andererseits schon darauf hingewiesen worden, dass die quaestorische Criminalcompetenz wahrscheinlich von diesem Gebiet ausgeht. Sicher hat dieselbe den Mord allgemein umfasst, insoweit er in dem römischen Machtbereich an einem Bürger oder Nichtbürger begangen war». Conf. eiusdem R. Strafrecht p. 155.

[2]) Conf. Digest. XLVIII 9, 9: «Poena pa(r)ricidii more maiorum haec instituta est, ut par(r)icida virgis sanguineis verberatus deinde culleo insuatur cum cane, gallo gallinaceo et vipera et simia: deinde in mare profundum culleus iactatur».

[3]) Vide testimonia a Brunnenmeistero l. l. p. 185 collecta.

[4]) Mommsen quoque (Röm. Strafrecht p. 991 sq.) cullei poenam antiquitus latius patuisse, postea vero ab homicidio ad solam proximorum caedem vindicandam translatam esse docuit.

[5]) Conf. Ramos, cuius libro titulus est: «Tribonianus, sive Errores Triboniani de poena paricidii», p. 97 (Lugduni Bat. a. 1728); Halm (Rosc. p. 7 adn. 67).

Iam igitur hac nostra disputatiuncula ad finem perducta summam eorum, quae enucleasse nobis videmur, paucis repetamus. Primum igitur reiectis omnibus, quae hucusque prolatae sunt, paricidii vocis originationibus prius nominis membrum a parandi verbo ductum esse coniecimus. Qua nova proposita probabilibusque rationibus confirmata vocis derivatione et ad orthographiam nominis stabiliendam nonnihil contulimus et difficultates quasdam, quae in interpretando antiquissimo Romanorum iure publico offeruntur, optime tolli posse ostendimus. Numquid revera in quaestione solvenda profecerimus, an tantum coniecturarum farraginem una addita auxerimus, penes homines doctos iudicium erit, quibus praeoccupatae mentes impedimento non sunt, quominus aliorum commenta sine ira et studio examinent.